

metur Christus in vobis. Sic enim per gratiam dicimur Christum induere, ad Galat. 4. Quod etiam declarans Basilius, homil. de Baptism., in 2 part. illius, versus finem, inquit: *Quemadmodum, quod secundum carnem natum est ex aliquo, tale est, quale id, ex quo natum est, ita et nos ex Spiritu natos spiritum fieri, spiritum dico, non secundum immensam illam et humano sensu incomprehensibilem Spiritus Sancti gloriam, sed secundum eam, quæ in divisione charismatum Dei conspicitur.* Atque ibidem explicat hunc effectum exemplo ferri, quod igni immersum, non solum purificatur, sed etiam in se ipso illustrius et splendidius fit; ita enim anima per baptismum non solum peccatorum maculis purgatur, sed etiam justificationis gratia decoratur atque perficitur. Quam doctrinam in tota illa homilia late prosequitur, et eadem reperietur apud omnes Patres de baptismo scribentes: Dionys., de Eccles. Hier., cap. 22; Tertull., lib. de Bapt.; Damasc., lib. 4 de Fide, cap. 40; Chrysost., optime Hom. 24 in Joan. et Hom. ad Neophyt., cujus verba tractat optime August., lib. 4 contra Julian., ante medium, qui etiam legi potest in Eneh., c. 57, lib. 4 de Nupt., c. 42, et lib. 2 de Pecc. mer., cap. 9 et 27, et epist. 57, fere tota quæst. 2; et Cypr., epist. 63; Prosper, de Vocat. gent., lib. 4, cap. 5, circa finem; ac denique etiam Basil., lib. de Spiritu Sancto, cap. 44 et 45, et alii sect. præced. in 2 et 3 concl. citati.

4. *Ratio conclusionis.* — Ratio autem hujus veritatis ex eisdem principiis et testimoniis sumenda est; nam baptismus institutus est ad remittendum originale peccatum, et actuale, si cum illo conjunctum sit. Sed peccatum originale, et mortale non remittitur sine infusione gratiæ, et justitiæ inhærentis homini. Ergo baptismus infundit gratiam, et justitiam, et virtutes omnes, quæ gratiam comitantur. Et confirmatur, nam baptismus facit hominem membrum Christi, et hæredem vitæ æternæ. Sed hoc fit in nobis per gratiam et charitatem infusam in cordibus nostris; ergo hæc omnia dona confert baptismus.

5. *Dubium.* — *Duo extrema vitanda. Primum.* — *Hujus veritatis ratio.* — *Refellitur fundamentum oppositæ sententiæ.* — Sed quæres, an hæc assertio sit æque certa in omnibus baptizatis, tam in infantibus, quam adultis. In hoc duo extrema vitanda sunt: unum fuit antiquum, quod baptismus tribuat hæc dona adultis, non vero infantibus, ut attigit D. Thom. hic, art. 6, quia infantes non videntur esse

capaces harum virtutum, cum nec possint earum actus exercere, neque earum infusioni consentire, cum tamen Concil. Trident. doceat, susceptionem horum donorum debere esse voluntariam, ut possit justificare. Sed hæc sententia antiquata jam est, eamque evidenter confutat ex principiis fidei D. Thom. citans August., art. 6. Est enim aperte erronea; nam, ut recte dixit Cypr., epist. 59: *Una est divini muneris æqualitas apud omnes, sive infantes, sive majores natu. Nam gratia, quæ baptizatis datur, non pro ætate accipientium major vel minor tribuitur, sed de pietate, atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbetur. Nam Deus, ut personam non accipit, sic neque ætatem, cum se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat patrem.* Unde Concil. Trident., sess. 5, cap. 5, generaliter, et sine distinctione definit, baptizatis gratiam conferri, per quam et veterem hominem exuunt et novum induunt; et sess. 7, can. 43 de Baptismo, definit, parvulos baptizatos inter fideles computandos esse, quia nimirum jam habent fidem infusam per baptismum, ut August. docuit lib. 4 de Pecc. mer., cap. 49, et lib. 3, cap. 2. Est autem eadem ratio de cæteris donis, ac de fide, maxime, quia si parvulis datur fides, non mortua, sed viva, quia æque sunt capaces illius absque obice, vel impedimento. Et hæc est ratio evidens hujus veritatis, suppositis principiis, quia sacramentum confert suum effectum non ponenti obicem. Sed parvuli sunt capaces effectus baptismi, alioqui, vel non essent capaces sacramenti, vel saltem indigne illis tribueretur; et non ponunt obicem; ergo recipiunt gratiæ effectum. Neque enim refert, quod non possunt propria voluntate consentire, utificentur. Sufficit enim, quod eis sit voluntaria illa susceptio voluntate capitis. Nam voluntarium non minus est de ratione culpæ, quam justitiæ, et nihilominus voluntas capitis naturalis, seu primi parentis sufficit, ut veram culpam voluntariam contrahant. Ergo multo magis voluntas capitis gratuiti, primique spiritualis parentis sufficit, ut veram justitiam recipiant. Neque etiam obstat, quod pro ea ætate non possint actus justitiæ exercere, quia, cum non sit acquirenda per proprios actus, sed a Deo infundenda, satis est, quod statim possit suum effectum formalem habere, sanctificando animam, dando illi jus intrinsecum ad vitam æternam, et apte disponendo potentias, ut possint suo tempore actus justitiæ elicere;

non est igitur hæc veritas minus certa in parvulis, quam in adultis.

6. *Alterum extremum.* — Aliud extremum novum est, veritatem hanc certiore esse in parvulis, quam in adultis, quia de utrisque est de fide certum justificari per baptismum, et per justitiam ipsis inhærentem, ut Concil. Trident. definit. Hæc autem justitia cum in parvulis non possit esse actualis, necessario esse debet habitualis; in adultis vero, cum reperiat actualis justitia inhærens, non potest tam necessaria consecutione inferri dari eis per baptismum habitualement justitiam. Sed hæc etiam sententia falsa est. Non est enim minus certum infundi adultis non ponentibus obicem habitualement justitiam, quam parvulis. Primo, quia doctrina de justificatione Concilii Trident., sess. 6, cap. 7, generalis est, imo magis propria adutorum, quam parvulorum; nam agit de his, qui per propriam dispositionem justificantur; et tamen illis dicit infundi justitiam inhærentem cujus instrumentalis causa est baptismus. Hæc autem non est justitia actualis, sed habitualis, quia justitia actualis nihil aliud est, præter actus, per quos homo se disponit ad baptismum digne suscipiendum, qui non fiunt per baptismum, sed illi supponuntur. Adde Concilium ipsum distinguere justitiam, quæ per baptismum infunditur, ab actuali dispositione suscipientis. Nam dicit, illam infundi dispositioni proportionatam. Loquitur ergo de justitia inhærente distincta ab actibus suscipientis. Secundo idem colligitur ex doctrina ejusdem Concilii de sacramentis in genere. Cum enim definit, sacramenta conferre gratiam omnibus et semper, certa ac definita lege Dei, si non ponant obicem, non tantum loquitur de gratia actuali, sed etiam ac multo magis de habituali, ut in superioribus ostensum est. Ergo si baptismus habet efficaciam ad conferendam gratiam habitualement parvulis, eandem semper confert omnibus non ponentibus obicem. Sed adulti non ponunt obicem, eo quod accedant cum actibus justitiæ, nam potius per hos actus omnino tollitur obex; ergo tam est certum, baptismum conferre hanc gratiam adultis, quam parvulis. Tertio idem colligi potest ex doctrina propria et speciali hujus sacramenti. Nam baptismus, sicut est unus in omnibus, ita et regenerationem spiritualem eandem et ejusdem rationis in omnibus efficit. Confert ergo omnibus idem esse, et eandem spiritualem vitam permanentem, et durabilem. Quam rationem indicavit Conci-

lium Viennense, dicens: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem, quæ assertit tam parvulis, quam adultis, dari in baptismo informantem gratiam, ducimus eligendam.* Et similiter Patres omnes locis supra citatis agentes de donis, quæ per baptismum dantur, indifferenter loquuntur de parvulis, et adultis. Est ergo res in utrisque æque certa.

7. *Ad rationem oppositæ sententiæ.* — *Respondetur.* — Neque obstat ratio in contrarium facta, tum quia hæc veritas non solum nititur illo principio de necessitate absoluta gratiæ inhærentis, sed etiam altero de efficacia sacramenti, ad suum effectum præstandum; tum etiam quia, licet in adultis reperiantur actus justitiæ inhærentis, tamen illi non sunt causa formalis justificationis, sed dispositiva, ut aperte docet Concil. Trident., et ideo etiam in illis necessaria est justitia inhærens, distincta ab actibus, ut ex eodem Concilio declaravimus.

8. *Dubium aliud.* — Sed quæret ulterius aliquis, utrum præter habitualement justitiam, conferat baptismus aliquam sacramentalem gratiam. Respondeo primo, certum esse non infundi aliquem habitum; nam (prætermisso caractere, de quo jam non agimus) certum est, nullum habitum infundi, præter eos, qui semper, et quasi ex natura rei, gratiam habitualement comitantur, ut constat ex generali doctrina supra tradita de sacramentis in genere. Deinde ipsamet justitia baptismalis, quatenus est regenerativa, et secum affert remissionem omnis culpæ et pœnæ, dici potest gratia sacramentalis hujus sacramenti, quia sub illo respectu et ratione est illius propria. At vero probabile est ratione hujus sacramenti dari aliqua auxilia actualia majora, quam ipsi gratiæ secundum se debeantur, non quidem talia, ut baptizatus in gratia confirmetur, aut infallibile donum perseverantiæ recipiat. Hoc enim hæreticorum figmentum est vanum et sine ullo fundamento, ac merito damnatum in Trident., sess. 7, can. 6 de Baptismo. Est enim non solum contra Scripturam, et Ecclesiæ sensum, sed etiam contra experientiam ipsam, ut latius in materia de gratia et charitate disseritur. Sed dari dicimus aliquod majus auxilium, quo homo frequentius, et vehementius excitetur, et adjuvetur, vel ad superandum concupiscentiæ fomitem, vel ad exercenda illa munera, ad quæ baptismus obligat. Nam per

baptismum efficiunt membra Christi et Ecclesiae, et capaces aliorum sacramentorum. Pie igitur credi potest, ratione illius dari ali- quod speciale auxilium ad ferendum Christi jugum fortiter ac suaviter, et ad digne ac- cendendum ad cætera sacramenta, qui effectus satis consentaneus est doctrinis sanctorum Patrum supra citatis, quamvis illud non tam distincte explicuerint. Præter hos autem effec- tus nulli alii sunt, qui vere possint baptismo attribui, tanquam proprie sacramentales. Quod ideo addo, quia interdum baptismus sanat hominem corporaliter, aut alium simi- lem miraculosum effectum operatur. Sed hoc non est ex certa lege et promissione, neque ex directa institutione sacramenti, sed ex speciali Dei beneficio, et extraordinaria pro- videntia; et ideo hujusmodi miracula non pertinent ad sacramentales effectus, nec pos- sunt aliquo probabili fundamento alii effectus præter dictos huic sacramento tribui, quia nec de illis facta est promissio, neque ex tra- ditione habentur, aut ratione aliqua ostendi possunt. In his autem, quæ pendent ex Christi voluntate et institutione, nihil est asseren- dum, nisi quod, aut revelatum sit, aut ex re- velatis colligatur.

9. Quapropter vana sunt hæreticorum figmenta, qui novos quosdam baptismi effec- tus excogitarunt, quales sunt, reddere homi- nem baptizatum liberum omni lege divina et humana, quamvis diverso modo, quia per hu- manam (inquiunt) nullo modo obligari potest, per divinam autem licet obligetur, tamen transgressio illius non imputatur ad culpam, propter baptismum. Unde ulterius addunt baptismum ea ratione confirmare hominem in justitia suscepta, quia vel facit illum impe- cabilem, vel facit, ut licet homo peccet, ta- men peccatum ei non imputetur, dummodo firmiter credat sibi non imputari; neque esse ullum crimen, quod possit eum gratia bap- tismali privare. Sed hæc et similia merito dam- nata sunt in Concil. Trident., sess. 7, can. 6, 7, 8, 9 et 10, quia non solum tales sunt hi effectus, ut nullo ecclesiastico, aut probabili fundamento nitantur, sed etiam sunt ex his, qui principiis, aut dogmatibus fidei repu- gnant, quod latius demonstrare ad hunc lo- cum non spectat.

## ARTICULUS V.

Utrum convenienter attribuantur baptismo quidam actus (4, d. 4, quæst. 2, art. 2, quæst. 3, 4, et 5, et d. 5, quæst. 2, art. 3, quæst. 2, corp. et ad 1, et art. 5, quæst. 1, et Quodl. 6, art. 4).

1. Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter attribuantur baptismo pro effectibus quidam actus virtutum, scilicet, incorporatio ad Christum, illuminatio et fœcundatio. Non enim baptismus datur adulto, nisi fidei, secundum illud Marc. ult.: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Sed per fidem aliquis incorporatur Christo, secundum illud Ephes. 3: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Ergo nullus baptizatur, nisi jam Christo incorporatus. Non ergo est effectus baptismi incorporari Christo.

2. Præterea, illuminatio fit per doctrinam, secundum illud Ephes. 3: Mihi omnium sanc- torum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes, etc. Sed doctrina præcedit baptismum in catechismo. Non ergo est effectus baptismi.

3. Præterea, fœcunditas pertinet ad gene- rationem activam; sed per baptismum aliquis regeneratur spiritualiter; ergo fœcunditas non est effectus baptismi.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. de Baptis. parvulorum (lib. 1, c. 26, tom. 7), quod ad hoc valet baptismus, ut baptizati Christo incorporentur. Dionys. etiam (cap. 2, Eccl. Hierar., p. 1 et 2), illuminationem attri- buit baptismis. Et super illud Psal. 22: Super aquam refectionis, dicit Gloss. (Cassiod. super hunc locum Psal. 22), quod anima peccato- rum ariditate sterilis fœcundatur per bap- tismum.

Respondeo dicendum, quod per baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quæ est propria fidelium Christi, sicut Apost. dicit Gal. 2: Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. Vita autem non est, nisi membrorum capiti unitorum, a quo sensum et motum suscipiunt, et ideo necesse est, quod per baptismum aliquis incorporetur Christo, quasi membrum ipsius. Sicut autem a capite naturali derivatur ad membra sensus et mo- tus, ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, et motus spiritualis, qui est per gratiæ instinctum. Unde Joan. 1 dicitur: Vidimus eum plenum gratiæ et veritatis, et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Et ideo consequens est, quod

baptizati illuminentur a Christo circa cogni- tionem veritatis, et fœcundentur ab eo, fœcun- ditate bonorum operum per gratiæ infusionem.

Ad 1 ergo dicendum, quod adulti prius credentes in Christum, sunt ei incorporati mentaliter, sed postmodum cum baptizantur incorporantur ei quodammodo corporaliter; scilicet per visibile sacramentum, sine cujus proposito nec mentaliter incorporari potuis- sent.

Ad 2, dicendum, quod doctor illuminat exterius per ministerium catechizando, sed Deus illuminat interius baptizatos præparans corda eorum ad recipiendam doctrinam veri- tatis secundum illud Joan. 6: Est scriptum in Prophetis: Erunt omnes docibiles Dei.

Ad 3, dicendum, quod effectus baptismi ponitur fœcunditas, quia aliquis producit bona opera, non autem fœcunditas, quia aliquis ge- nerat alios in Christo, sicut Apostolus dicit, 1 ad Cor. 4: In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

## COMMENTARIUS.

Baptismo incorporamur Christo, illumina- mur, et fœcundamur. — In hoc articulo non explicat D. Thomas novum baptismi effec- tum, quia revera nullus superest explican- dus, ut dixi, sed declarat nonnullas voces, quibus baptismi effectus solet a Patribus si- gnificari, præsertim has tres, incorporari Christo, illuminari, ac fœcundari; nam pri- mum tribuitur baptismis, ratione gratiæ, et charitatis, per quam homo unitur spiritua- liter Christo. Item, ratione characteris, per quem speciali modo consignatur, ut sit mem- brum Christi et Ecclesiae, quæ est corpus ejus; et ideo recte dicit D. Thomas in solu- tione ad primum, quod licet per fidem, et gra- tiam fiat homo spirituale membrum Christi, tamen per illa, ut accepta per hoc sacramen- tum visibile, quodammodo incorporatur ei corporaliter et visibiliter, quia fit membrum Ecclesiae visibilis, et fit capax influxus quo- dammodo sensibilis, provenientis a capite Christo per sacramenta sensibilia. Secundum, scilicet illuminare, tribuitur baptismis ratione fidei; est enim fidei sacramentum, et specia- lis ejus professio. Tertium, scilicet fœcundi- tas, tribuitur baptismis, ratione aliarum vir- tutum, et bonorum operum ab eis prodeun- tium. Significat autem D. Thom. in solut. ad 2 et 3, hos actus non tribui baptismis solum propter infusionem habituum, sed etiam, quia

Deus specialiter præparat cor hominis bap- tizati ad suscipiendam, et operandam doctri- nam veritatis. Quod intelligendum videtur juxta dicta in fine præcedentis disputationis.

## ARTICULUS VI.

Utrum pueri in baptismo consequantur gratiam et virtutes (2, 2, quæst. 47, art. 14, ad 3; et 4, d. 4, quæst. 2, art. 2, quæst. 1, et d. 17, quæst. 1, art. 3, quæst. 2, corp. et ad 3, et dist. 18, quæst. 1, art. 3, quæst. 1, corp.).

1. Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod pueri in baptismo non consequantur gratiam et virtutes. Gratia enim et virtutes non habentur sine fide et charitate. Sed fides, ut August. dicit (epist. 23, non remote a fin., tom. 2), consistit in credentium voluntate; similiter etiam charitas consistit in diligentium volun- tate, cujus usum pueri non habent, et sic non habent fidem et charitatem. Ergo pueri in baptismo non recipiunt gratiam et virtutes.

2. Præterea, super illud Joan. 14: Majora horum faciet, dicit August. (tract. 72 in Joan. a med., tom. 8): Quod ex impio justus fiat, in illo, sed non sine illo Christus operatur. Sed puer, cum non habeat usum liberi arbitrii, non cooperatur Christo ad suam justifi- cationem, imo quandoque pro posse renititur. Ergo non justificatur per gratiam et virtutes.

3. Præterea Roman. 4 dicitur: Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justifi- cat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. Sed puer non est credens in eum, qui justificat impium. Ergo non consequitur gratiam justificantem neque virtutes.

4. Præterea, quod ex carnali intentione agitur non videtur habere spiritualem effec- tum. Sed quandoque pueri ad baptismum deferuntur carnali intentione, ut scilicet cor- poraliter sanentur. Non ergo consequuntur spiritualem effectum gratiæ et virtutum.

Sed contra est, quod Augustinus dicit (En- chirid., cap. 52, ante med., tom. 3): Parvuli renascendo moriuntur illi peccato, quod nas- cendo contraxerunt. Ac per hoc ad illos etiam pertinet, quod dicitur: Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem. Subditur au- tem: Ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Sed novitas vitæ est per gratiam et virtutes. Ergo pueri in baptismo gratiam et virtutes consequuntur.

Respondeo dicendum, quod quidam antiqui

posuerunt, quod pueris in baptismo non datur gratia et virtutes, sed imprimatur eis character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes.

Sed hoc patet esse falsum dupliciter. Primo quidem, quia pueri sicut et adulti in baptismo efficiuntur membra Christi, unde necesse est, quod a capite recipiant influxum gratiæ et virtutis. Secundo, quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam æternam, quia, ut dicitur Rom. 9: Gratia Dei est vita æterna. Et ita non profuisset eis ad salutem, baptizatos fuisse. Causa autem erroris fuit, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum. Et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum.

Ad 1 ergo dicendum, quod fides et charitas consistunt in voluntate hominum, ita tamen, quod habitus harum et aliarum virtutum requirunt potentiam voluntatis, quæ est in pueris; sed actus virtutum requirunt actum voluntatis, qui non est in pueris. Et hoc modo August. dicit in lib. de Baptismo parvulorum (epist. 23 ad Bonif., non procul a fin., tom. 2), quod parvulum, etsi nondum illa fides, quæ in credentium voluntate consistit, jam tamen ipsius fidei sacramentum (quod scilicet causat habitum fidei) fidelem facit.

Ad 2, dicendum, quod, sicut August. dicit in lib. de Charitate, nemo ex aqua et Spiritu Sancto renascitur, nisi volens, quod non de parvulis, sed de adultis intelligendum est. Et similiter de adultis intelligendum est, quod homo a Christo sine ipso non justificatur. Quod autem parvuli baptizandi, prout viribus possunt, reluctantur, non eis imputatur, qui in tantum nesciunt, quod faciunt, ut nec facere videantur, ut August. dicit in lib. de Præscientia Dei ad Dardanum (epist. 57, post med., tom. 2).

Ad 3, dicendum, quod, sicut August. dicit, parvulis mater Ecclesia aliorum pedes accommodat, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut fateantur. Et ita pueri credunt non per actum proprium, sed per fidem Ecclesiæ, quæ eis communicatur. Et hujus fidei virtute conferuntur eis gratia et virtutes.

Ad 4, dicendum, quod carnalis intentio de-

ferentium pueros ad baptismum, nihil eis nocet, sicut nec culpa unius nocet alteri, nisi consentiat. Unde August. dicit in epist. ad Bonifacium (23, parum ante med., tom. 2, et lib. 4 de Pecc. mer., cap. 25, in fin., tom. 7): Non illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur æternam, sed hoc eos putant remedio corporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur.

## COMMENTARIUS.

Materia hujus articuli in præced. disputat. tractata est. Etenim hæc quæstio ita conjuncta est cum alia de adultis, ut sine repetitione, et prolixitate, non potuerint separari. Littera autem D. Thom. satis clara est.

## ARTICULUS VII.

Utrum effectus baptismi sit apertio januæ regni cælestis (4, dist. 3, art. 1, quæst. 3, et dist. 4, quæst. 2, art. 2, quæst. 6, et 4 cont., c. 59).

1. Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod effectus baptismi non sit apertio januæ regni cælestis. Illud enim, quod est apertum, non indiget apertione. Sed janua regni cælestis est aperta per passionem Christi, unde Apoc. 4 dicitur: Post hæc vidi ostium magnum apertum in cælo. Non est ergo effectus baptismi apertio januæ regni cælestis.

2. Præterea, baptismus omni tempore, ex quo institutus fuit, habet suum effectum. Sed quidam baptizati sunt baptismo Christi ante ejus passionem, ut habetur Joan. 3, quibus, si tunc decessissent, introitus regni cælestis nondum patebat, in quod nullus ante Christum introivit, secundum illud Mich. 2: Ascendit pandens iter ante eos. Non est ergo effectus baptismi apertio januæ regni cælestis.

3. Præterea, baptizati adhuc sunt obnoxii morti et aliis pœnalitatibus vite præsentis, ut supra dictum est (art. 3 hujus quæst.). Sed nulli est apertus aditus regni cælestis, quamdiu obnoxii est pœnæ, sicut patet de his, qui sunt in purgatorio. Non ergo effectus baptismi est apertio januæ regni cælestis.

Sed contra est, quod super illud Luc. 3: Apertum est cælum, dicit Gloss. (Bedæ, Luc. 3, in c. 40 secundum suum ordinem, tom. 3): Virtus hic baptismatis ostenditur. de quo

quisque cum egreditur, regni cælestis ei janua aperitur.

Respondeo dicendum, quod aperire januam regni cælestis, est amovere impedimentum, quo quis impeditur regnum cælestis introire. Hoc autem impedimentum est culpa et reatus pœnæ. Ostensum est autem supra (art. 1 et 2 hujus quæst.), quod per baptismum omnis culpa et omnis reatus pœnæ tollitur. Unde consequens est, quod effectus baptismi sit apertio januæ regni cælestis.

Ad 1 ergo dicendum, quod baptismus in tantum aperit baptizato januam regni cælestis, in quantum incorporat eum passioni Christi, virtutem ejus homini applicando.

Ad 2, dicendum, quod quando passio Christi nondum erat realiter perfecta, sed solum in fide credentium, baptismus proportionaliter causabat januæ apertionem, non quidem in re, sed in spe; baptizati enim tunc decedentes ex certa spe introitum regni cælestis expectabant.

Ad 3, dicendum, quod baptizatus non est obnoxiius morti et pœnalitatibus vite præsentis, propter reatum personæ, sed propter statum naturæ. Et ideo propter hoc non impeditur ab introitu regni cælestis, quando anima separatur a corpore per mortem, quasi jam persoluto eo, quod naturæ debebat.

## COMMENTARIUS.

Impugnatur ratio D. Thomæ. — Respon-detur. — Discrimen inter baptismum, et circumcissionem. — De hoc effectu jam supra dictum est. Solum est advertenda ratio D. Thomæ; probat enim baptismum aperire januam regni, quia tollit impedimenta regni cælestis, quæ sunt culpa, et reatus pœnæ. Contra quam instari potest: nam etiam circumcisio tollebat hæc impedimenta, et tamen non dicitur aperuisse januam regni, ut constat ex cap. Majores, de Baptismo. Item, baptismus ipse ante Christi mortem applicatus tollebat eadem impedimenta, et tamen non aperiebat januam regni. Nam si quis statim post baptismum tunc decessisset, non fuisset regnum cælorum ingressus. Sed sciendum est, aliud esse agere de personali impedimento, aliud de impedimento totius naturæ; nam illud tollitur per gratiam, et integram remissionem pœnæ debitam ipsi personæ; ad hoc vero tollendum necessaria fuit passio et

satisfactio Christi de se sufficiens pro lapsu totius naturæ; baptismus ergo cum non sit ad satisfaciendum pro tota natura, sed ad applicandum singulis personis generalem ac sufficientem Christi satisfactionem, non tollit ex se impedimentum totius naturæ, nisi quatenus illud redundabat in personam, cui applicatur baptismus, nam impediēbat illam ab ingressu regni, et hoc impedimentum tollit baptismus. In quo est differentia inter ipsum et circumcissionem, et omnem gratiam, quæ ante Christi mortem dabatur, quia tunc gratia non aperiebat januam regni pro illo tempore, et ita pro tunc non tollebat impedimentum illud totius naturæ, etiam prout in singulas personas redundabat, sed solum dabat jus obtinendi gloriam statim ac redemptio totius naturæ esset consummata. At vero gratia baptismalis statim aperit januam regni, quod per se convenit baptismo, in quantum institutus est signum passionis Christi jam exhibitæ et consummatæ, a qua habet virtutem applicandi satisfactionem jam factam. Quod autem ante Christi mortem baptismus non haberet hunc effectum, est quasi per accidens, quia tunc baptismus nondum habebat suam significationem perfectam, et erat quasi in statu præternaturali; quia licet ante Christi mortem institutus sit, tamen per se non instituebatur pro illo statu imperfecto legis veteris, sed pro statu perfecto legis gratiæ, in quo et redemptio Christi perfecta est, et impedimentum totius naturæ sublatum.

## DISPUTATIO XXVII.

## DE NECESSITATE BAPTISMI AD GRATIAM ET GLORIAM CONSEQUENDAM.

Hanc disputationem supra, q. 66, art. 4 et 2, in hunc locum remisimus, quia supponit ea, quæ in præcedenti disput. dicta sunt, nimirum baptismum conferre gratiam primam, et aperire januam regni. Statim enim inquirendum sequitur, an sit causa adæquata hujus effectus, ita ut sine illa fieri non possit; quod est inquirere, an baptismus sit necessarius necessitate medii. De necessitate autem præcepti inferius in parte morali dicendum est. Dicemus igitur primo de hac necessitate in communi; deinde tam in adultis, quam in infantibus sigillatim eam explicabimus.